

sacerdotio sit amplissimo praeditus, nomen futurus, subeundumque periculum sit cum aliquo fortasse dedecore, si quando Pompejus rem publicam recuperarit. In hac parte haec sunt. Vide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est a Pompejo nostro sapienter, nihil fortiter; addo etiam, nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rem publicam ille aluit, auxit, armavit: ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor: ille Galliae ulterioris adjunctor: ille gener: ille in adoptando P. Clodio augur: ille restituendi mei, quam retinendi studiosior: ille provinciae propagator: ille absentis in omnibus adjutor: idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipublicae coepit, contendit, ut decem tribuni plebis ferrent, ut absentis ratio haberetur; quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoque Marcello consuli finienti provinciis Galliis Kalendarum Martiarum diem restitit. Sed, ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissima fuga? Quae conditio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? Malaes conditiones erant, fateor: sed numquid hoc pejus? At recuperabit rem publicam. Quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis et publica et privata adversario tradita? Denique nulla causa, nullae vires, nulla sedes, quo concurrant, qui rem publicam defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiae, et ab impetu hujus belli remotissima: fuga et maritima opportunitas visa quaeri desperatione. Invite cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed sine causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor: bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet; et, ut ipse sensi, multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotii; quod ab initio vidi nihil quaeri praeter